



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

48. An ex consensu & auctoritate Episcopi Sacerdos possit redire ad beneficium, postquam doluit de matrimonio nulliter contracto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

l. 7. c. 22. n. 7. citatos à Castrop. item contra alios limitatiùs aliquantò procedentes, dum volunt per di beneficium ipso jure, si Clericus sit pubes, secus si is sit impubes; vel etiam, si is scienter contraxit cum impubere, secus si inscienter.

*Questio 46. An vacet beneficium ob matrimonium contractum nulliter ex defectu forma requisita à Trid. nempe sine parochio legitimo aut testibus?*

**R**espondeo: conformiùs & magis consequenter ad sententiam illam Lotterii dici vacare beneficium ipso jure; matrimonium siquidem contractum cum impedimento dirimente eatenus privat ipso beneficio, quatenus contrahens attentavit ipso facto situm incompatibile assumere; hæc autem eadem ratio militat, dum matrimonium est nullum ex defectu hujus formæ requisitæ. Castrop. loc. cit. n. 13. contra Garc. loc. cit. n. 15. innitentem huic fundamento; quòd ex actu nullo propter defectum formæ, seu solemnitatis non incurrat pœna, ut Sanch. de matrim. l. 3. d. 2. n. 8. & non adhibita formæ requisita perinde sit, ac si actus non fieret; & citantem pro se Sanch. loc. cit. d. 48. n. 8. Ledesin. de matrim. q. 55. num. 9. dub. 4. Rodriq. in sum. c. 30. nu. 9. Vegam. p. 1. c. 36. casu 20. ad quartum &c.

*Questio 47. An vacet beneficium ob matrimonium contractum nulliter, quia beneficiatus erat in ordinibus sacris?*

**R**espondeo: magis consequenter dici vacare ipso jure propterea beneficium; eò quòd sicut ligati alio impedimento dirimente, v. g. consanguinitatis, affinitatis, sint aqùè inhabiles ad contrahendum, quàm constitutus in ordinibus sacris, & tamen incurrant dictam pœnam. Castrop. loc. cit. Azor. p. 2. l. 7. c. 16. q. 5. citans Covar. de matrim. p. 2. c. 6. §. 3. n. 4. Staph. de lit. grat. rit. de var. mod. vac. modo 5. nu. 8. Cuch. in institut. majorib. l. 4. tit. 12. n. 21. Rossiniac. Anchar. & alios, quos citat Garc. loc. cit. n. 18. contra Lessl. de justitia. l. 2. c. 34. n. 115. qui hanc dat rationem; quòd matrimonium illud sit irritum, & talis compellendus manere in suo ordine suscepto; unde non conveniat, ut ipso facto sit privatus, ne fortè cogatur mendicare. sed hæc ratio firma non est; quia habet etiam locum in privando per sententiam. Item contra Barb. l. 3. juris Eccles. c. 14. n. 16. citantem pro hoc Sanch. de matrim. l. 7. d. 42. n. 4. Filiuc. tr. 41. c. 8. n. 6. &c. item contra Garc. loc. cit. n. 17. insistentem fundamento jam refutato, quòd talis sit omnino inhabilis ad contrahendum, adeò que solum veniat privandus per sententiam; ac citantem insuper pro hoc gl. fin. Imol. in c. 1. de cleric. conjugatis. Enriquez. in sum. l. 7. c. 36. §. 1. Maillard. concl. 182. n. 5. & 6. qui etiam dicat esse communiorem. Sayrum Nav. Lopez. &c.

*Questio 48. An ex consensu & auctoritate Episcopi sacerdos possit redire ad beneficium, postquam doluit de matrimonio à se nulliter contracto?*

**R**espondet Azor. p. 2. l. 7. c. 16. q. 8. affirmativè; eò quòd in c. sanè. de cleric. conjug. concedatur Episcopo, ut juris rigorem hac in parte relaxare valeat eà conditione; si clericus longam pœ-

nitentiam egerit & laudabilem vitam: verùm id intelligendum de alio beneficio; beneficium siquidem quod is amisit, dum diu vacare non debet, usque dum is longam pœnitentiam agat; vel certe denuo vacaret possessore intermedio defuncto; aut etiam si adhuc à prima vacatione pergeret vacare. Intelligendum tamen non est, quòd illud denuo possit adire, etiam post actam pœnitentiam sine nova collatione, juxta dicta supra.

*Questio 49. An, & quid probandum impetranti beneficium vacans ob contractum matrimonium?*

**1.** **R**espondeo primò: debet probare factum ipsum matrimonii contracti formaliter per verba de præfenti; adeò que non sufficit probare sponsalia. Lott. l. 3. q. 26. n. 73. non tamen tenetur probare subsecuram copulam; quia, ut dictum etiam matrimonium non consummatum parit dictum effectum amissionis beneficii.

**2.** Respondeo secundo: hoc ipsum factum matrimonii debet probari indubitanter, ut ex eo inducatur vacatio beneficii. Barb. juris Eccles. l. 3. c. 14. n. 8. ubi addit, hinc non sufficere, quòd lata esset sententia pro validitate matrimonii, si pendet causa restitutionis in integrum: pro quo citat Calder. decis. 180. n. 1. quod tamen credo non subsistere in casu attentati matrimonii; sufficeret enim hanc attentationem probari indubitanter, etsi matrimonium esset, & per sententiam declararetur nullum; idque consequenter dictis.

*Questio 50. An, & qualiter vacet beneficium per ingressum religionis?*

**1.** **R**espondeo: per professionem religiosam tacitam vel expressam beneficia in statu seculari obrenta ipso jure vacant. Lott. l. 3. q. 26. nu. 8. (ubi: quòd quando obtinens in titulum beneficium faculare efficitur religiosus, per ingressum religionis inducitur vacatio ipso jure) C. de Luca. de benef. d. 62. nu. 4. Castrop. loc. cit. p. 3. §. 7. n. 1. Garc. p. 11. c. 9. n. 1. Gonz. gl. 15. n. 45. Barb. juris Eccles. l. 3. c. 14. nu. 3. citatis quàmplurimis juxta c. beneficium. de regularib. in 6. & ibi DD. communiter: ex quo textu etsi aliqui, ut Pavin. de pot. cap. sed. vac. prelud. 7. n. 10. Staphil. de lit. grat. rit. de var. mod. vac. modo 6. nu. 1. simplicem vacationem desumant; rectiùs tamen inde deducitur, quòd vacatio hæc inducatur ipso jure. Lott. loc. cit. citans pro hoc Tholosan. de benef. c. 25. n. 18. Rotam in Toleran. benef. 6. Junii 1605. Ratio autem hujus datur à Castrop. loc. cit. quia per professionem religiosam religiosus redditur incapax dominii, & habendi quid proprium. sic Lott. loc. cit. n. 9. rationem hujus vacationis in incompatibilitate statûs regularis cum ipso beneficio constituit. Parimodo ipso jure vacant omnia jura ad beneficia, & pensiones Ecclesiastica amittuntur. Card. Luca loc. cit. n. 5. Castrop. loc. cit. citans Sanch. in Decalog. c. 4. n. 5. & 15. Barb. loc. cit. & citati ab eo pro primaria responsione.

**2.** Dixi primò: per professionem religiosam; qualis quia non est, quam emittunt quorundam ordinum militarium professi, puta equites S. Jacobi Calatravæ, Alacantariæ &c. utpote qui religiosi non sunt, per hanc professionem non vacant eorum beneficia & pensiones (vide tamen quæ habet Garc. p. 7. c. 10. n. 9. ubi ex Hojeda; quòd